

ZACHARIAS HERMANNUS

SACROS. THEOLOGIÆ DOCTOR, ECCLE-

SIÆ AD D. ELISAB. PASTOR, ET CÆTERARUM

nec non Scholarum Reipub. Vratisl. Inspector,

Auditoribus S.D.



A Constantino Imperatore rogatus Acesius, cur se ab Orthodoxorum communionem segregaret? respondit, eos, qui peccato ad mortem post baptismum se obstringerent, mysteriorum communionem indignos esse. Hanc sententiam improbens Constantinus mox subiecit: Erigito ergo tibi scalam Acesi, & solus in Cœlum ascendo. Quo dicto Imperator ostendit, homines minimè à peccati labe esse vacuos. Omni vitio carere, hominis modulum excedit, soliusq; Dei est. Hic peccator est, qui se peccatorem negat, injustus est, qui se justum judicat. Deus ipse homines mirum in modum improbitati addictos esse, ac solo misericordiae oleo indigere ait. Aut enim facimus quod non decet, vel non facimus quod decet. Quod si actu peccata vincimus: cogitationum tamen culpas vincere, aut penitus abolere non possumus.

Nemo puritatis fastum insolenter jactet. Est quidem felicitas ut chara ita rara in peccatorum turpitudinem non venire. Veruntamen alia major & præclarior est felicitas, veniam peccatis latentibus invenire. Nihil æquè gratum est DEO, ac emendatio & salus hominis peccatoris, in cuius gratiam omnis sermo & omne mysterium dirigitur. Penitentia id DEO est, quod iudici innocentia. Qui verò peccata peccatis addit, cum ea refecare deberet penitentia, similis est illi, qui scindit ligna, & suis humeris imponit, cumq; jam supra vires onustus est, nova super addit, & onus auget. Tandem igitur aliquando respiscamus, ac nos ipsos noscimus, Deum offendimus, creatorem nostrum irritavimus: Eum, qui & præsentis vitæ potestatem habet, & futura Dominus ac iudex est. O divinam clementiam, quæ ad tantam dignitatem evexit penitentiam: homines lachrymantur, & Deus immutatur; lugent mortales, & decretum solvit Deus immortalis. Vincitur invincibilis, armis penitentium. Demus itaq; locum penitentia, per quam ii, qui culpâ suâ lapsi resurgunt ad pristinum nitorem; quamq; distulisse semper nocuit. Vultis quanta sit ejusdem necessitas. Attendite quid animarum nostrarum Medicus & Salvator nobis imperarit: Respiscite. Portus salutis homini penitentia est. Si secuti sumus errantes, sequamur penitentes. Penitentia viam in cœlum munit. Penitentia est angusta illa porta, per quam jubemur ingredi, quæq; ad vitam æternam recto tramite ducit. Deum iratum habeas necessum est, quamdiu peccatis dominium indulges: tollitur illud verà ad Deum conversione, quæ in seriâ peccatorum agnitione, verâ peccatoris contritione, & fidei misericordiae divinæ apprehensione consistit. Scholam penitentia David aperuit in Psalmis illis Septem, qui vulgò ab argumento Penitentiales appellantur. Ut rosa digitis trita fragrantior existit, ita hi Psalmi sedulâ meditatione suaviores fiunt. Threnorum itaq; Regio-prophetarum explicationem ordiar, DEO volente, die Jovis horâ nonâ. Venite, Auditores, jamq; in Domino valet, quem suppliciter mecum veneramini, ut labori nostro ex alto benedicat. P.P. Dominica 1. post Trinitatis. Anno 1624.



ZACHARIAS HERMANNUS

SACROS. THEOLOGICÆ DOCTOR, ECCLE-

SIÆ AD D. ELISAB. PASTOR ET CÆTERARUM

Anglicanus D.



Constantino Imperatore rogatus Acellus, cur se ab Or-

ASTORUM princeps ipse Salvator ovibus letatur presentibus, errantes quaerit, montes, sylvas, ac precipitia obire non recusat: Si morbidam comperiat, odio non inflam-

1624. M. 30



ZACHARIAS HERMANNUS

SS. THEOLOGIAE DOCTOR, ECCLE-

SIARUM ET SCHOLARUM REIPUB. VRA-

TISLAVIENSIS PASTOR ET IN-

SPECTOR

Auditoribus Salutem precatur.



ASTORUM princeps ipse Salvator ovibus letatur presentibus, errantes quaerit, montes, sylvas, ac precipitia obire non recusat: Si morbidam comperiat, odio non inflam-
 matur, sed mali commiseratione movetur, ac oviculum curat laborantem, et totius gregis emolumentum, gaudet lassitudinis esse levamentum. Petro commendat agnos suos pascendos, qui pascebat et Petrum. Paulum vocat vas electionis, Vas dignum et celestibus ferculis repletum, de quo et sanus escam, et infirmus accipiat medicinam. Tales decebat humano generi pastores et doctores constitui, qui et dulces essent, et potentes, et nihilominus sapientes. Dulces, ut oviculas blandè susciperent: potentes, ut scriptura propugnaculo fortiter protegerent: Sapientes, ut ad viam, et per viam ducerent, quã in celum itur. In Epistolis ad Timotheum et Titum Paulus Apostolus ex professo de pastorum Ecclesia officio luculenter et Apostolico planè spiritu agit, quin et alibi fidorum Ecclesia pastorum typum feliciter exprimit. Scribit enim veri pastoris esse ingenuè et intrepidè mediis in periculis officio fungi: Puram doctrinam, puro animi affectu fideliter docere: sine assentatione, et avaritiã Deo suam conscientiam approbare: seipsum infirmis quibusvis, eos lucrificandi causã, submittere: Gregem sibi commissum vitã chariorem habere: Non seipsum, sed gregem pascere: Sanctã et inculpatã vitã exemplo ceteris præire: Paternum affectum, ad exhortationes et consolationes afferre: Omnes deniq; ad vitã piè instituendam ardentèr pergere. Paulus Timotheum Ecclesia Ephesina (a quã vicina omnes Ecclesia Asia minoris dependebant) non consulto Petro Episcopum et Pastorem constituit, idem Romã à Paulo vocatus est, ubi Apostolorum tempore et postea ad Constantinum Magnum usq; imperante Magistratu ethnico clerus tantum fuit et populus. Tandem cæsaribus Imperatoribus ad fidem Christi, tribus gradibus ornata fuit Ecclesia Romana, Clero, Magistratu et populo. Apud Sozomenum, Theodosius Imperator Gregorium Nazianzenum patribus Synodi Constantinopolitana, quã fuit Oecumenica secunda, commendat, et Episcopum Ecclesia Constantinopolitana postulat. Universa synodus orthodoxorum Imperatoris accedit sententiã. Atq; hoc ipsum antiquis etiam canonibus ita est sancitum, ut in ordinatione Sacerdotum requirantur vota civium, Testimonium populorum, et arbitrium Honoratorum. Hinc est quòd conditã pace Religionis, ad Principes et Status Imperij Jurisdictio Ecclesiastica translata, est, quam adhuc debitã cum determinatione, et certo cum ordine et modo tuentur. Faxit DEUS, ut Spiritus Sancti ductu et auspicio docentes in Ecclesia, sicut ceperunt, ita animosè pergant, et perseverent, utq; in illis quã ad DEI gloriam, ad auditorum salutem, et suam ipsorum in hac et futurã vitã felicitatem ac beatitudinem directã sunt, perpetuo crescant, et indies augeantur.

Quia vero Utriusque Epistolæ ad Timotheum est immensa dignitas, et in Ecclesia DEI autoritas, quippe quæ continent præcipuos ferme omnes Doctrina Christiana locos, quos in congregatione fidelium extare, et discentibus intulculari utile est, sic ut ille non tam Timotheo, quàm toti Ecclesia Christi scripta esse videantur; Explicationem prioris Epistolæ ad Timotheum à Jovis, horã nonã antemeridianã, cum bono DEO, ordiar. Adde votum, ut auditores mei re ipsã sint Timothei, Deum honorantes, atq; ut scriptum hoc Apostolicum, sicut Timotheo, sit illis etiam utile ad doctrinam, seu ad instructionem ignorantium: Ad redargutionem in fide errantium: ad correctionem peccantium: Tandem ad institutionem, ut vitã moresq; professioni fidei respondeant. Erit hoc docentium et discentium officium absq; omni dubio DEO gratum, quem veneramur et invocamus, ut Rempublicam hanc sub alarum suarum umbrã Clementissimè protegat, eamq; jubeat esse officinam sapientiã et justitiã, ac studiorum emporium amplissimum, ex quo cum primis doctrina celestis puritas propagetur, ad illustrem usq; adventum Salvatoris nostri, cui soli cum Patre et Spiritu Sancto Trinum præpotenti DEO Ecclesias et Scholas Vratislavienses piis votis ac precibus commendo. P. P. Breslae Calen. Junij Anno 1625.

VRATISLAVIÆ,
 Imprimebat Georgius Bauman. Anno 1625.

44006/21